Quelle:
Copyright:



aliis ejusdem Chronici austriaci exemplaribus Teutonicis /: quorum duo in Biblioth. cæs. vind., bina itidem in Lunelacensi et Rothensi cænobiis, unum in canonia Tirnsteinensi, et alterum in monast. PP. Dominicanorum Vieñensium videre licet:/ auctoris nomen ubique desideratur; non præsumo hanc historiam potius Gregorio Hageno, quam Matthæo cuidam adjudicare. Schwanderus quidem opus istud potius illi, quam huic adscribit, et idem judicium imponit cl. P. Hieronymo Pezio, ita de eo in censura, fronti codicis nostri præfixa, disserens: "Illud ipsum /: Scil. Chronicon:/ cl. P. Hieron. Pezius Benedictinus "Melicens. ex Ms. codice chartaceo Præposituræ Canonicorum Reg. S. August. Tirnsteinensis in Austria, ao "1721. primus in lucem publicam protraxit, et collectioni "suæ Script. rer. austriac. T. I. p. 1052. Sequenti sub "titulo inseruit: Matthæi cujusdam, vel potius Gregorii "Hageni germanicum Austriæ chronicon a condito mundo "usque ad añ. Christi 1298. perductum". At cl. Hier. Pezius nullibi utitur vocula potius, sed pag. 1043 præfatum Ms. ita inchoat: "Matthæi cujusdam, vel Gregorii Hageni" &c. et pag. 1052. eodem modo subjungit: "Jam tandem Matthæi vel Gregorii Hageni nostri" &c. Imo pagg. 1045. et 1046. ita scribit: "Eruditorum judicio, utri potius, "Matthæone scilicet cuidam, an Gregorio Hageno hoc opus "adscribendum sit, permittere, quam temere de eo quid "quam pronunciare, maluimus."

Corrigendus hic etiam est Typographus, qui hocce chronicon editionis Pezianæ usque ad añ. Christi 1298 perductum esse, impressit, integro sæculo omisso, ut ista ad ejus editionis calcem verba /: columna 1158.:/ produnt: "Darnach huben "an zu herschen hie in dem Lande, Herzog Wilhalm und "Herzog Albrecht, Vettern. Nach Christi Geburt drew Zehen hundert in dem acht und Newczigisten Jare &c. Ipse quoque prælaudatus Pezius ait de Codice a se edito: "Incipit is ab orbe condito, finitque in año Christi millesimo trecentesimo nonagesimo octavo", et opinatur illum exaratum post medium sæculum Christi decimum quartum, et quidem ab auctore quodam, qui vel civis Vieñensis, vel certe in hac urbe comoratus fuit. Codex vero noster, de quo cl. Schwanderus ait: "Quamvis cæteroquin ad recentius, sæculi nimirum XVI. initium referendus videatur, sed pretio suo nequaquam careat, cum plurimis Pezianæ editionis aut dubiis aut vitiosis locis restituendis emendandisve haud parum